Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Illo t. Dixit ie dis s. parabolam hanc. Simile est regnum
hominum regi: qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cepisset
rationem ponere oblatus est ei unus qui debebat decem milia talenta.
Cum autem non haberet unde redderet: iussit eum dominus venundari et uxorem
eius et filios. et omnia quae habebat. et reddi. Procidens autem
servus ille: orabat eum dicens. Patienciam habe in me: et omnia reddam
tibi. Misertus autem dominus servi illius: dimisit eum. et debitum dimisit ei.
Egressus autem servus ille: invenit unum de conservis suis qui debebat
ei centum denarios: et tenens suffocabat eum dicens. Redde quod
debes. Et padens conservus eius: rogabat eum dicens. Patienciam
habe in me: et omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiit et misit eum
in carcerem donec redderet debitum. Videntes autem conservi eius quae fie
bant: contristati sunt valde. Et venerunt: et narraverunt domino suo
omnia quae facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus: et ait illi.
Serve nequam: omne debitum dimisi tibi. quia rogasti me. Nonne oportuit
et te misereri conservi tui. sicut et ego tui misertus sum. Et
iratus dominus eius: tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum
debitum. Sic et pater meus celestis faciet vobis: si non remiseritis
unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Dom. xxiii. Ad philippen.
Fratres. Imitatores mei estote: et observate eos qui ita ambulant.
sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant. quos sepe dice
bam vobis. nunc autem et flens dico. inimicos crucis xpi: quorum finis in
interitus: quorum deus venter est. et gloria in confusione ipsorum qui terrena sa
piunt: nostra autem conversacio in celis est. Unde etiam saluatorem expectamus
dominum nostrum iesum xpm: qui reformabit corpus humilitatis nostre configu
ratum corpori claritatis suae. secundum operacionem qua possit etiam subicere
sibi omnia: iesus xpus dominus nr. S. Matthm.
Illo t. Abeuntes pharisei: consilium inierunt ut caperent iesum in ser
mone. Et mittunt ei discipulos suos cum herodianis. dicentes. Ma
gister: scimus quia verax es. et viam dei in veritate doces: et non est tibi cura
de aliquo. Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis: Quid